

Exercitium logicum, de quarta figura Galeni / [Johann Adolph Rhein].

Contributors

Rhein, Johann Adolph.
Galen.
Hundeshagen, J. Chr. 1783-1834.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jena : K : J.J. Bauhoffer, 1665.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r85gumad>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITIUM LOGICUM,

de

QUARTA FIGURA
GALENI,

Quod

Divini Numinis Auspicio

&

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

suffragio

sub

PRÆSIDIO

M. JOHANNIS CHRISTOPHO-

RI Hundeshagen/ Facult. Philosophicæ

Adjuncti

Publico Φιλοσοφῶν Examinī

subiicit

JOANNES ADOLPHUS Rhein/

Mœno - Francofurtensis,

In Auditoriō Philosophorum.

J E N A E,

Typis Johannis Jacobi Bauhofferi,

Anno M. DC. LXV.

Bauh

EXERCITIUM LOGICUM

QUARTA FIGURA
GALLENII

Divini Nominis Aspicis

Aspersione Facultatis Philosophice

Subscriptio

19203

1710

M. JOHANNIS CHRISTOPHO

Philosophice Facultatis

Aspersione

Subscriptio

Subscriptio

IOANNES ADOLPHUS

Meno - Francolinensis

In Auditorio Philosophorum

J E N A

Tus Johannis Jacobi Brant

Anno M. DC. XXV.



Præfamen.



Et è dixit, quicunque dixit: Stultam sapientiam esse, Veteribus ita adhærescere, ut omnia nova sordescant; & insipientem Prudentiam esse, novis ita applaudere, ut omnia Veterum placita fastidiamus. Liberè enim philosophandum esse, omnes clamant. Etenim sub ortu primo homini à magno Deo concessa est rationis potestas, quæ labe primævâ, quamvis coinquinata, libertas tamen in ea non est penitus perempta, sed cuius salva & integra relicta, nisi quispiam servus, quàm liber esse malit: Servus esse dicitur & abjectum aliorum mancipium, qui authoritati, quâ in scientiis Philosophiæ non est pugnandum, plus quàm veritati confert, & qui ratione convictus, falsum esse haud dubio crederet, nisi aliqua authoritate inductus verum esse persuasum haberet. Veneranda est & esse debet antiquitatis authoritas, non tamen superstitiosè; multum illi rerum inveniendarum fuit studium, & magna in inventis felicitas: Sed etiam nostræ ætati docta est dexteritas veteri vel par vel certè non inferior; claret hæc rerum multarum notitiâ, quas vetustas vel ignoravit, vel disputavit. Nullum sc, sterile seculum est, prodeunt cœlo, naturâque favente ingenia, & cum his ingeniarum artes & scientiæ, atque si

quæ ab antiquo reliqua est ignorantia, aut in præsentem ætatem error transiit vel falsitas; ignorantiam excutit, errorem corrigit, falsitatem damnat hodierna indoles. Amicus sit Plato, amicus sit Aristoteles, & amicus Socrates; sed magis nobis amica sit veritas, cujus ea est natura, ut ipsa per se in animos hominum sese insinuet, & modò repente vim suam exserat, modò tenebris oblecta longo tempore, ad extremum suapte vi ipsa vincat, & de errore triumphet. Inde Romuli Nepotum omnium disertissimus Cicero, non abs redixit; *tantam semper*, inquit, *potentiam veritas habuit, ut nullis machinis aut cujusdam hominis ingenio, aut arte subverti potuerit.* Et licet in causis nullum Patronum aut defensore[m] obtineat, tamen ipsa per se defenditur. Quæ eum in finem adduximus, ut benevolo Lectori constaret, nos in præsentem negotio de QUARTA FIGURA GALENI nullâ authoritate pugnatu[ros]; sed Scapham scapham appellatu[ros]. Bene enim novimus scriptum quoddam Anonymi cujusdam, non ita pridem editum, tantam vim & virtutem huic quartæ Figuræ attribuere, ut eam solam legitimam pronunciet, reliquis tribus Figuris tanquam erroneis, illegitimis ac spuris rejectis; quo de infra ulterius dispiciendi occasio dabitur.

Tu vero summe rerum Arbitrator, conatui nostro clementissimè annue! Sit itaque

THESIS. I.

Intellectum nostrum in notitiis rerum acquirendis, Syllogismo tanquam instrumento uti, nemo hominum sanioris mentis facile inficias ibit, quandoquidem & homines inertissimos atque ignorantissimos syllogisticè ratiocinari comperiamur. Non abs re ergò fore existimamus, si, quid distet Galenicus Syllogismus à Peripateticis, ponderemus.

deremus. Secus si fit, intellectum nostrum a simulari pro-
stibulo patiemur, cujus Spem deperditè atque insuper ri-
diculè frustrantur Amasii pro coronatis aut imperialibus
plumbeos & cupreos nummos solventes; ita & intellectus
noster susque deque habita Figurarum Syllogisticarum na-
turâ falsum pro vero, non ens pro ente, vel proprio erro-
re, vel Sophistarum fraude seductus apprehendet.

§. II. Dicitur Syllogismus *Quarta Figura Galenicus*; quia *Averroes* (homo quidem sine fide, teste *Mendoza* dis-
put. log. 10, Sect. 20. §. 110.) in comment. ad cap. 12. lib. 5. pri-
or. analyt. ejus originem *Galeno cuidam* attribuit. Quinam
autem fuerit iste *Galenus*, non uno inter authores vivitur
voto. *Johannes Ammonius*, cognomine *Scotus*, teste *Lor-
rino* in cap. 8. lib. 1. prior. analyt. quest. 2. vult esse Arabem
quendam, qui duos libros de demonstratione conscripsit.
Communis tamen & maximè teceptissima sententia est,
Averroem per istum *Galenum* intellexisse Medicorum
Principem & Antesignanum, Virum in arte logica versa-
tissimum; quanquam in operibus *Galeni*, quæ ad nostra
pervenerunt secula, *Dd. Conimbric. 1. prior. analyt. cap. 7.*
quæst. 1. art. 1. fatentibus, nulla hujus figuræ facta fuerit
mentio, in aliis tamen libris, qui nunc desiderantur, &
quos *Averroes* legit, mentionem ejus facere potuit, ut
verba mutuemur *Zabarella de quarta figura Syllog. cap. 1.* Po-
sito jam, Authorem hujus quartæ figuræ fuisse *Galenum*
Medicum, per hoc, quod eam rejiceremus, debitam reve-
rentiam huic viro optimo non denegaremus, quippe qui
communi eruditorum applausu Logices ope universam
Medicinam, judice *Coo* in epist. ad *Democrit.*, & *Aphor. 1.*
Sect. 1. amplissimam omni ex parte locupletavit, proque
ejus integritate adversus Sophistas tum temporis tam ma-
sculè propugnavit, ut præclarum ejus ingenium omni-

omnibus in arte logica imitandum proponere nulli addubi-
temus. Et sicuti ipse, cum Archigenem laudasset, dixit;
*non tamen in omnibus, quæ tradidit irreprehensibilis mihi vide-
tur; at velut ipse plerosque eorum Virorum, à quibus adiutus o-
ptimus evasit, reprehendit: sic par est, ipsum delinquentem à nobis
posteris examinari.* Ita quoque de Galeno, qui & ipse ho-
mo fuit, sentire nobis in præsentis licitum sit. Quod si for-
tè & nobis eadem fors obtigerit, eandem quoque veniam
nos impetraturos certò speramus.

§. III. Antequam autem prægrediamur, volupe est,
priùs vocis figuræ ambiguitatem evolvere. Nam *ἡ ἀπειρα-
ῖα δύναμις ὀνομάτων, ῥαδίως παραλογίζονται.* Figura, Græcis
ἄνμα dicta, est vox πολύσημος, varias admittens significati-
ones, quas omnes recensere in præsentis nostrum institu-
tum non patitur. Primaria significatio hujus vocis Geo-
metris est usitata, quibus figura sumitur pro lineamento
undique terminato, quod si unico comprehenditur ter-
mino, oritur circulus & Sphæra; sin pluribus; oritur figu-
ra trilatera, quadrilatera multilatera; seu triangulum, qua-
drangulum, multangulum. Ex Scholis Geometrarum trans-
lata fuit ista vox ad Rhetores & Dialecticos. In Rhetorica
distingvuntur figuræ in figuras dictionis seu λέξεως, quibus
voces eadem vel similiter cadentes consonant, ut Epizeu-
xis, Anaphora, Epistrophe etc. & in figuras sententiæ seu δια-
φορίας, quales sunt Exclamatio, Interrogatio, Apostrophe;
Et denique in figuras Amplificationis, quibus à causis, ef-
fectibus, circumstantiis amplificatur oratio, ut Aetiolo-
gia, descriptio etc. in *Logica* verò vox figuræ accipitur i.
pro quarta specie qualitatis, quæ nihil aliud est, quam qua-
litas ex terminatione quantitatis resultans, præcisè confi-
derata absque materia, in qua est: deinceps accipitur pro
figura dictionis, quæ est species fallaciæ: & denique vox fi-
guræ

figuræ respicit situm mediæ termini in ordine ad extremas, veluti an mediæ terminus subjiçatur, an prædicetur. Et sanè quemadmodum Geometris figura non est, quæ terminis constat, sed quæ terminis undique clauditur: ita quoque figura Syllogismi, non constituitur una aliqua propositione, quæ quidem etiam constat duobus extremis; sed insuper adsit necesse est mediæ terminus, qui in præmissis ritè cum utroque extremorum complicatus connectat eam ad irrefragabilem consequentiam. Et sicuti triangulum conficitur ex tribus lineis; parili ratione Syllogismus conficitur ex tribus propositionibus, tribusque terminis. Et denique sicuti in triangulo binæ lineæ clauduntur accedente tertiâ: ita in Syllogismo duæ propositiones clauduntur per tertiã sc. conclusionem. Ob has & alias similitudines, translata est vox figuræ ad Logicos.

§. IV. *Monlorius 1. prior: cap. 4. in Schol: & cap. 26.*

Schol. 1. refert; Alexandrum definivisse Figuram, κοινωvιαν δύο προτάσεων κατὰ τὸν μέσον ὄρον. Communionem duarum pronunciationum secundum medium terminum. Hinc rectè ab aliis figura Syllogismi dicitur esse nil aliud, quam certa mediæ termini cum extremis in ratione subjecti & prædicati dispositio. Tales figurastres posuit & confirmavit Aristoteles *1. prior. cap. 23.* quæ diversitas figurarum exinde oritur, quia nos non temerè ad ratiocinandum nosmet accingimus, nescientes quodnam ostensuri simus; sed antequam propositiones sumamus, propositum nobis est certum aliquod quæsitum (quod Græcis problema appellatur, & factâ ratiocinatione dicitur conclusio,) quod vel affirmare vel negare intendimus. Istud quæsitum duobus terminis constat, necesse est, subjecto sc. & prædicato. Subjectum quæsitæ logici in Syllogismo directo dicitur minus extremum, prædicatum vero majus extremum: dum au-

anne nobis propositum est tale quæsitum vel probandum vel improbandum, statim solliciti sumus de alio tertio termino, qui medius nuncupari consuevit, quem si cum utroque extremo quæsitum connectimus, duas præmissas facimus, quibus mediantibus ipsum quæsitum inferitur; Hicque terminus medius prædicato quæsitum in Syllogismis directis conjunctus, siue ei subjiciatur, siue de eo prædicetur, constituit propositionem majorem; si vero cum subiecto quæsitum connectitur, quocunque modo istud fiat, siue in ratione subiecti, siue in ratione prædicati, facit in Syllogismis directis præpositionem minorem. Ex quibus propositionibus conjunctis inferre solemus quæsitum, quod tunc mutato nomine vocatur *conclusio*. Ex his jam diversis modis connectendi medium terminum cum extremis quæsitum, inventus fuit figurarum numerus, qui non aliundè petitus, quam à diversa medii termini cum extremis positione. Nam si medius terminus utrique extremorum subjicitur, oritur tertia figura, si de utroque prædicatur, oritur secunda, si vero majori termino subjiciatur, & de minore prædicetur, oritur prima figura. Et sic numerus trium figurarum fuit ab Aristotele in libris analyticis ostensus, qui propterea appellantur analytici ἀπὸ τῆς ἀναλυτικῆς à resolvendo; seu latinè Resolutorii, quia docent propositam conclusionem resolvere in sua principia: docent quippe invenire duas propositiones ad conclusionem inferendam, à conclusione autem ad principia inveniendâ procedere, nihil aliud est quam resolvere.

§. V. Ex his liquet, quid respondendum sit ad argumenta illius, qui suppresso nomine scriptum quoddam contra veterem ratiocinandi artem ab Aristotele Peripatus Auctore excogitatam, non ita pridem edidit, quo in tres figuras consuetas rejicit, & quartam, quam

nos

nos destruere conamur, tantum adstruxit; cujus argumen-
ta, quibus insurgere audet contra Peripateticos, integra
huc apponere non pigrabimur, cap. autem II. ita ratioci-
natur: *Figura prima Aristotelica ratiocinandi initium incipit
à medio termino, qui natura comparatus est, ut medius inter u-
tramque extremitatem intercedat, de se invicem secundum ca-
pacitatem & repugnantiam vel affirmandas vel negandas; qua
vero ratiocinandi modum incipit à medio termino, qui naturam
comparatus est, ut medius inter utramque extremitatem interce-
dat de se invicem secundum capacitatem vel repugnantiam affir-
mandas vel negandas, necessario offendit naturalem ratiocinan-
di modum, in quo à subjecto ratiocinii supposito inchoandum, &
per medium propagandum, usque in terminum supremum: sed quod
offendit naturalem ratiocinandi modum, in quo à subjecto suppo-
sito inchoandum & per medium propagandum usque in terminum
supremum, est necessario illegitimus & inversus ratiocinandi or-
do. Ergo, Figura prima Aristotelica est illegitimus & inversus
ratiocinandi ordo.* Hoc sibi velle videtur Author, quod
medius terminus semper inter extrema situs esse debeat,
unde quoque hanc appellationem nactus fuerit; at in pri-
ma figura medius terminus est in majore initium argumē-
tationis, & in minore ultimo loco est positus, extrema in
medio quasi interjacent, id circo hanc primam figuram il-
legitimam, spuriam & inversum ratiocinandi modum ef-
se autumat.

§. VI. In capite subsequenti 12. parili ratione secundam
figuram invertere audet, quando ita inquit: *Alteram figuram A-
ristotelicam medium terminum in utraque premissa predicat; sed qua
medium terminum in utraque premissa predicat, offendit natura-
lem ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad
maiores extremitatem, ordine nunquam mutato, nisi inter medium
& majus extremum natura identitas sit.* Ergo, altera figura A-

ristotelica offendit naturalem ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad majorem extremitatem, ordine nunquam mutato. Quod autem offendit naturalem ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad majorem extremitatem ordine nunquam mutato, est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. E. altera figura Aristotelica est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Idem vult, quod antea, quia nempe medius terminus in secundæ figuræ præmissis non inter extrema interjacet, & ita ratione situs inter majorem & minorem medius sit, id propter putat Anonymus ille Syllogismos secundæ figuræ lædere naturalem argumentandi modum.

§. VII. *Adversus tertiam figuram ita insurgit: Tertia figura Aristotelica medium terminum in utrâq; præmissa subiicit; sed quæ medium terminum in utrâq; præmissa subiicit, offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minori supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem. Ergo, tertia figura Aristotelica offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minore supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem. Quod autem offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minori supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem, necessario est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Ergo, tertia Figura Aristotelica est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Dico amplius, secundum naturam medii est impossibile ut idem bis in præmissis naturaliter subjectum agat, quod probat medium naturaliter comparatum est, ut majorem extremitatem de minore extremitate pro conformitate vel difformitate affirmativè aut negativè predicare faciat. Quod verò naturaliter comparatum est, ut majorem extremitatem de minore extremitate pro conformitate vel difformitate affirmativè aut negativè predicare faciat, necessario vi illius predicationis cum utraque extremitate componenda vel dividenda venit; Ergo, medium naturaliter vi predicationis suæ cum utraq; extremitate compon*

*componendum vel dividendum venit. Sed quod naturaliter vi
prædicationis suæ cum utraq; extremitate componendum vel di-
videndum venit, necessario semel prædicari & semel subjici de-
bet. Ergò medium naturaliter vi prædicationis suæ semel prædi-
cari & semel subjici debet. Quod autem naturaliter vi suæ præ-
dicationis semel prædicari & semel subjici debet, impossibile est,
ut in utraq; præmissa subjiciatur. Ergò, medium in utraq; præ-
missa non subjicitur, adeoq; non est tertia figura.*

§. VIII. Hæc sunt illa, quibus tot seculis inconcus-
sam ratiocinandi artem ab Aristotele excogitatam debili-
tasse & infirmasse sibi Anonymus ille persuasum habet.
Verùm quàm infirma & imbecillia sint hæc argumenta,
pueri etiam, qui vix ære lavati sunt, norunt. Nam medi-
us terminus non dicitur semper medius ratione situs & lo-
ci, quasi nempe quoad situm & locum inter extrema sem-
per in medio positus esset, idque omnes Peripatetici in-
culcant. Sed dicitur medius ratione officii, quia ejus mu-
nia sunt extrema unire & conjungere, quomodo arbitrum
vocamus mediatorem, quia partes à se invicem dissiden-
tes conjungit: hinc recte dixit Zabarella lib. de q. F. cap. 2.
*dicendum est, inquit, medium duplici ratione vocari posse medi-
um: aut enim ratione virtutis & efficacia inferendi conclusionem,
qua ratione in omnibus Figuris vocatur medius, quia per ipsum
conclusio colligitur; aut ratione sedis ac positionis inter extrema,
qua ratione non est medius, nisi in sola prima Figura. Inde li-
cet vel maximè terminus medius in secunda & tertia Figu-
ra non sit ratione situs seu loci medius, est tamen medius
ratione efficaciae & virtutis, quia talem efficaciam habet,
ut semper ejus ope & beneficio extrema in Syllogismo u-
niantur & copulentur. Quo observato cadunt uno ictu o-
mnia argumenta, quibus sese Anonymus iste ratiocinandi
doctrinæ ab Aristotele excogitatae opponebat.*

§. IX. Nihilominus tamen adhuc sunt alia, quæ secundam & tertiam figuram infringere videntur: nam obicitur (1.) quod natura per lineam rectam, non per ambages progrediatur, et id propter in artibus quoque abstinendum esse ab ambagibus, quales in secunda & tertia figura dari exinde probatur, quia conclusio harum figurarum per reductionem ad primam figuram est confirmanda, & ita Syllogismus in prima figura inferendus, qui statim ab initio potuisset inferri. (2.) Entia non sunt multiplicanda præter necessitatem: Jam omnes quæstiones concludi possent in prima figura, nempe particulares & universales, affirmativæ & negativæ, ceu intuenti modos illius apparet; quorsum igitur opus est aliis figuris? (3.) Aristoteles ipse fatetur, Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ esse imperfectos, 1. *prior. cap. 5. & 7.* Ergo secunda & tertia figura quoque sunt imperfectæ, & consequenter rejiciendæ.

§. X. Sed hæ rationes non sunt tanti momenti, ut propter eas duas posteriores figuras rejiciamus, quippe quæ in naturali differentium usu frequentissimè reperiuntur: toto enim die fit, ut homines tam indocti, quam docti naturæ ductum in ratiocinando sequentes per Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ argumententur. Ad 1. Ergo, respondetur, quod Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ per lineam, ceu loqui amant, rectam, & non per ambages progrediantur, licet ad primam Figuram reducantur; qua reductione etiam carere possent, cum nempe per reductionem illatricem vim necessariam non accipiant: hanc enim absque ulla ad primam Figuram reductione possidere solent: hoc enim nisi esset, Syllogismis secundæ & tertiæ Figuræ definitio Syllogismi ab Aristotele tradita attribui non posset, in qua dicitur, conclusionem ex præmissis necessario inferri. Secunda ergo & tertia Figura non minus

nus quam prima necessitatem illationis habent; sed tamen non conspicuam; idcirco ad primam Figuram reducuntur, ut eorum necessitas conspicua fiat, non ut necessitatem accipiant. Significavit hoc Aristoteles *1. prior. cap. 1.* quando distinxit Syllogismum in perfectum & imperfectum: dixit enim, eum Syllogismum esse perfectum, qui nullo indiget, ut necessarius esse appareat; imperfectum verò, qui eget reductione ad primam Figuram, ut ejus necessitas appareat & manifesta fiat. Prima igitur figura perse habet tum necessitatem, tum necessitatis evidentiam; aliæ autem duæ habent quidem necessitatem illationis; non tamen apparentiam necessitatis; sed hanc suscipiunt per reductionem ad primam.

§. XI. Ad 2. Respondetur, necessitatem esse duplicem, vel *indigentia* vel *expedientia*: jam licet secunda & tertia figura non sint necessariae necessitate *indigentia*; sunt tamen necessariae necessitate *expedientia*: quomodo necessarii sunt in animali duo oculi; posset certè sine alterutro esse animal, nihilominus tamen natura dedit geminos, quia hoc animali est expeditius atque utilius. Atque sic, licet non sit necessarium necessitate *indigentia* esse tres figuras, est tamen hoc necessarium necessitate *expedientia*. Accedit & hoc, quod nos sæpe ratio vel dispositio quæstionis & præst. tutio mediæ termini cogat, ut dimittamus primam figuram, aliâque utamur; ceu Zabarella de 4. *Figura Syllog. cap. 10.* observavit. Sic sit probanda hæc conclusio (*Nullus lapis est homo*) per medium *Animal*. Hic fieri nequit, ut ratiocinatio illa sit in prima figura. Nam terminus minor est lapis, ideoque in assumptione disponi debet cum medio termino (*animal*.) Hoc autem modo fieret propositio minor negans, quòd repugnat Syllogismo primæ figuræ. Proinde commodius & expeditius est, Syl-

logismum in secunda Figura formare hoc modo : *O. homo est animal, N. lapis est animal. Ergo, N. lapis est homo.* Quod fit sine ambagibus. Aliàs convertendo propositionem universalem negantem in aliam universalem (quod fieri posse Aristoteles docet *1. prior. cap. 2.*) & minorem conversam loco majoris ponendo fit Syllogismus in prima figura, in qua emergit conclusio conversa hoc modo : *N. animal est lapis, O. homo est animal. Ergo, N. homo est lapis.* Quam si converteris, erit talis propositio. *N. lapis est homo. Cum verò talismodi conversio propositionum in reductione ad primam figuram instituitur; soepies contingit, ut ex propositionibus naturalibus fiant propter conversionem institutam innaturales (ceu res sexcentis exemplis, si opus esset, probari posset) at vero commodius est, in aliquo Syllogismo habere propositiones naturales, quam innaturales, & consequenter commodius est, quandoque in certo quæsito argumentari in secunda vel tertia figura, quam in prima, licet consequentia in iis figuris tam perspicua atque manifesta non sit, quam in prima.*

§. XII. Ad tertium respondere non erit ire per extensum funem : nam quando Philosophus loco citato has figuras posteriores vocat *ἀτελεῖς* imperfectas, tunc comparat eas cum prima figura secundum evidentiam consequentiæ, quæ in ista major est. In se tamen etiam perfectæ sunt ratione sc. necessariæ illationis. Ad horum pleniorum intellectum notandum, aliud esse necessariam consequentiam, aliud evidentiam necessariæ consequentiæ. In omnibus Syllogismis cujuscunque figuræ sunt, sive directi sive indirecti, necessaria est consequentia vel conclusio, & hac ratione etiam sunt omnes perfecti, & Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, licet ipsi quidem, ut dictum est, necessariam habeant consequentiam, non tamen ita evidens est

est, illorum consequentiam esse necessariam, quemadmodum in directis primæ figuræ, propterea quod actu dictum de omni & nullo non habeant, & idcirco dicuntur imperfecti.

§. XIII. Tribus igitur figuris ab omni hostico insultu vindicatis, accedimus ad quartam; quæ est talis termini mediæ dispositio, in qua medius prædicatur in maiore, & in minore subicitur. Quæ verò ex hac terminorum dispositione collecta fuerit conclusio, dubium adhuc cuiuspiam nasci poterit: duplex enim ea dari poterit, una, quando Galenicorum iudicio terminus maior de minore concluditur, e.g. quando ita argumentamur: *O. homo est animal. Q. animal sentit. Ergò quoddam sentiens est homo.* Ubi terminus, *sentit*, iudicio Galenicorum est minor, & terminus *homo est* major. Vel conclusio posset ita inferri, *O. homo est animal. Q. animal sentit. Ergò. Q. homo sentit.* Jam credibile est Autorem hujus figuræ, priori modo conclusionem intulisse, quod omnes, qui à parte Galeni stant, facere assolent. Nam si posteriori modo, tunc non quarta, sed prima esset figura, & præmissæ saltim quoad situm essent transpositæ. Hancque argumentandi Figuram tutatus quoque est Johannes Viguerius in *instit. theol. c. 2. th. 4.* Ursinus *qq. illust. disp. 14.* Matthias Flacius *l. 5. log. general. cap. 8. & 14.* aliique in arte medica & scientiis Philosophicis celebres Viri, qui solo nomine Galeni percussi hanc quartam figuram constituendam, unanimiter asseverarunt. Constituunt autem numero quinque in hac figura modos, quos alii aliter appellant, nos verò cum *Hippio ex probl. log. 34.* dicimus, *Baramlip, Caremes, Diramptis, Fesapo, Fresiso.* In quibus modis observatis literis initialibus B. C. D. F. & mediis S. P. M. Reductio erit facilis, sic e.g. in *Fes, N. Stella est corruptibilis,*

ap. O. Corruptibile est elementare. Ergò

O. Q. Elementare non est Stella.

Reducitur hic Syllogismus ad *Ferio* majore simpliciter, minore per accidens conversa.

Fer. N. Corruptibile est Stella,

I. Q. Elementare est corruptibile. E.

O. Q. Elementare non est Stella.

Similiter in *FRESISO*;

Fres. N. Stella est meteoron.

Is. Q. meteoron est cometa. E.

O. Q. Cometa non est Stella.

Reducitur ad *Ferio* majore & minore simpliciter conversa:

Fer: Nullum meteoron est Stella.

I. Q. Cometa est meteoron. E.

O. Q. Cometa non est Stella.

Ex quibus Syllogismis, inquiunt, simul apparere, quod per solam transpositionem præmissarum non possint in prima figura constitui, aliàs evaderet major particularis & minor negans.

§ XIV. Pro hac quartâ figura statuminanda multæ rationes afferri à *Galenicis* contra *Petipatheticos* assueverunt. 1. ita argumentantur: Quotuplex est dispositio medi termini cum extremis, tot quoque sunt figuræ; sed quadruplex est dispositio medi termini cum extremis. E. quatuor sunt figuræ. Major probatur, quia figura est nihil aliud, quam medi termini cum extremis dispositio: hinc *Aristoteles* ex varia medi cum extremis collocatione figurarum numerum ternarium adinvenit. Minor probatur, quia medius terminus vel subjicitur majori, & prædicatur de minore in prima; vel prædicatur de utroque, hinc *secunda*; vel subjicitur utrique, hinc *tertia*; vel prædicatur de

de majore & subjicitur minori, hinc *quarta* oritur figura. Quod argumentum etiam strenuè urfit Anonymus ille, qui omnem doctrinam Aristotelicam evertere omni, sed in validâ Minervâ allaboravit.

§. XV. Deinde (2) ille est bonus Syllogismus, cui competit Definitio Syllogismi ab Aristotele tradita: Sed Syllogismo quartæ figuræ competit definitio Syllogismi E. Syllogismus quartæ Figuræ erit bonus, & consequenter approbandus & non rejiciendus. Major probatur ex trito axioma-
te topico: *Cuicumq; competit definitio, ei quoq; convenit definitio*: minor inde ostenditur, quia Syllogismus à Stagirita *analyt. prior. l. 1. p. 1. c. 1.* dicitur oratio, in qua quibusdam positis, majori nempe & minori, aliud ex iis, quæ posita sunt, necessario sequitur, conclusio sc. Talis jam oratio est quoque Syllogismus quartæ Figuræ, quippe qui ex veris præmissis servatis suis regulis semper elicit veram conclusionem.

§. XVI. (3.) Illi sunt optimi Syllogismi, qui ad primam figuram revocari queunt: Etenim Aristoteles modos secundæ & tertię figuræ esse optimos inde probavit, quia ad alios primæ Figuræ modos reduci possunt, ubi ipsorum consequentia fit manifesta. Sed Syllogismi, qui in 4. Figura conficiuntur, sunt tales. Sic Syllogismus in *DIRAMTI*:
Q. homo est albus. O. album est mixtum. E. Q. mixtum est homo,
ita reducitur ad *DARII*, transpositione præmissarum & conversione conclusionis simplici hoc modo: *O. album est mixtum. Q. homo est albus. E. Q. homo est mixtus.* Erunt igitur optimi Syllogismi quartæ figuræ, ac proinde necessario erit hujusmodi figura concedenda.

§. XVII. (4.) Illam terminorum dispositionem, in quâ excellentes probatique Autores suos Syllogismos frequenter sunt architectati, esse Figuram oportet; sed in illa terminorum dispositione, ubi medium primo prædicatur

& deinde subjicitur, excellentes probatique Autores frequenter Syllogismos architectati sunt. Ergò ille modus erit Figura aliqua Syllogismorum. Minorem auctoritate Aristotelis, Ciceronis, Macrobbii &c. probari, *inquit Regius disp. log. lib. 4. probl. 5. pag. 154.* ubi exemplum Macrobbii adfert sic argumentantis: *Anima seipsam movet. Quod se ipsum movet, est immortale. E. anima est immortalis.*

§. XVIII. (5.) Quicumque Syllogismus perpetuò & in omni materia conclusionem certam concludit, ille non est inutilis. Sed Syllogismi quartæ Figuræ perpetuò & in omni materiâ conclusionem certam concludunt. E. Majorem probant ex doctrina *Aristotelis* à contrario. Illi enim modi sunt inutiles, qui nihil certi concludunt, & ex eadem propositionum complicatione modò affirmativa, modò negativa exsurgit conclusio. Talis modi verò Syllogismos in singulâ Figurâ consideravit Aristoteles & rejecit, ut inutiles. Quod asserere non possumus de modis quartæ Figuræ; affirmativus enim semper particularem affirmativam, nunquam negativam; & negativus semper particularem negativam, nunquam affirmativam concludit.

§. XIX. (6.) Si præmissarum transpositio parit novum modum, quidnâ pariet etiam novam Figuram, si simul contingat mediî termini situm mutari. Antecedens probatur ex modis *Cesare* & *Camestres* in secunda Figura, & ex *Disamis* & *Datifi* in tertia Figura, ubi sola præmissarum transpositio diversos hos modos constituere solet. Consequentia exinde stabilitur, quia, ubi præmissæ transponuntur, & terminus mediî alium situm occupat, ibi non potest non nova suboriri Figura.

§. XX. (7.) Quæcumque Figura tales conclusiones infert, quæ in tribus Figuris inferri non possunt, ea non est rejicienda & inutilis pronuntianda. Sed quarta Figura
Gale.

Galenica est talis. Ergò. Minorem probant exinde, sit v.g. quæstio probanda: *Q. album est doctum, per medium homo.* Si ergo medium ponatur in prima aut tertia Figura, nihil tamen sequitur ex particularibus. Neque in secunda ratiocinium legitimum fiet; nam licet ex his. *O. doctum est homo, Q. album est homo,* inferri possit: Ergò *Q. album est doctum,* illud tamen non vi formæ, sed vi materiæ sequitur: nam aliàs in secundâ Figurâ ex puris affirmativis licitum esset argumentari, quod tota Logicorum natio prohibet. Econtra in quarta Figura ita possum ratiocinari: *O. doctum est homo. Q. homo est albus. E. Q. album est doctum.*

§. XXI. (8.) Ursinus citante Finckio in doctr. Syllog. p. 415. tale format argumentum: Si Peripatetici non rejiciunt *Soritem*, multò minus rejicere possunt quartam Figuram. Sed verum est prius. E. & posterius. Conseq. probatur, si quidem fundamentum Soritæ videtur esse Figura Galenica, juxta quam omnis Sorites informatur, inque ea procedit.

§. XXII. (9.) Quicumque Syllogismus propositiones eòdem ordine disponit, quem habent termini conclusionis ad se invicem; ejus illatio est directa ac naturalis. Sed Syllogismi quartæ Figuræ hoc faciunt. E. major à nostro ratiocinandi modo probatur, utpote qui majorem & minorem propositionem directè semper ab ordine terminorum quæsi ab initio propositi determinat. Minor exemplis elarefeit,

§. XXIII. Antequam mentem nostram hac de re aperiamus, volupe est, prius præmittere istam quæstionem: *an ex uno Syllogismo possint sequi multa conclusiones?* quemadmodum plura media secundum Aristotelem 1. prior. c. 25. eandem conclusionem inferre queunt: ita etiam eadem

media possunt inferre plures conclusiones; per doctrinam *Aristotelis 1. prior. c. 2.* Ubi tamen sciendum, unum Syllogismum habere unam conclusionem, quæ immediate ex eo sequitur, ex qua conclusione immediate illatâ, plures aliæ inferri possunt. Quod perpalàm est in Reductione quorundam Syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad primam, ubi non eadem conclusio in Syllogismo reducto sequitur, sed saltim convertens, veluti in modis: *Camestres & Disamis*, quo tamen non obstante reductus & reducibilis dicuntur esse idem Syllogismus. Et quidem variis modis possunt aliæ propositiones annexæ principali conclusioni alicujus Syllogismi (1) per conversionem conclusionis, veluti, si ad conclusionem universalem negativam inferatur ejus convertens, sicut in præfatis modis *Camestres & Disamis* contingit, vel si ad universalem affirmativam inferatur particularis affirmans, ceu in modis *Baralip & Barbara* fieri solet. Vel si ad particularem affirmativam inferatur alia particularis affirmans, ceu videre est in *Dabitis & Daris.* (2) per subalternationem; quomodo ad conclusionem universalem subalternantem inferatur particularis subalternata, e. g. sit conclusum: O. virtutem esse laudandam, ex quo per subalternationem etiam sequitur: Q. virtus est laudanda. Idem in negativis procedit: Nulla planta sentit. E. Quædam planta non sentit. Quibus duobus modis B. Scheiblerus, alios quoque adjicit, quando tractat. *Sylog. c. 2. th. 13. n. 23.* inquit: Sic etiam ex toto aliæ inferuntur partes. Veluti si illatum sit, animam esse in quolibet membro viventis: Rectè inferitur: Et per consequens etiam est in pede viventis. Si illatum sit: Deus est ubiq;: rectè attextetur: Et per consequens; Deus etiam est apud reprobos. Ad hanc: Deus semper est iustus: rectè attextitur: & per consequens, Deus fuit iustus & erit iustus. Semper enim requirit universitatem temporis. Potest
ad

ad conclusionem de causa inferri consequens, quod eidem etiam
competat effectus. Veluti, quid concludit rem aliquam esse ignem,
concludit etiam, eam rem calefacere &c. Hac B. Scheiblerus,
quæ suo loco relinquimus, cum ad nostrum institutum
non faciant.

§. XXIV. His præmissis autem fatendum cum *Scheib-
lero* & *Hippio*, Syllogismos quartæ figuræ habere quidem
necessariam consequentiam, & nunquam ex veris præmis-
sis servatâ legitima terminorum dispositione & decenti
præmissarum quantitate & qualitate concludere falsum,
quod nonnulli ex reductione horum Syllogismorum ad
primam Figuram probare satagunt. Sed modi omnes quar-
tæ Figuræ suprâ recensiti non sunt peculiare & distincti à
modis primæ figuræ, sed sola metathesi præmissarum ab iis
differre solent, quod ad oculos monstrabitur, si modos
illos paulò penitius inspexerimus. Sic *Baramlip* est mo-
dus *Barbara*, modò præmissæ transponantur, & quia, ut
anteà dictum, unus Syllogismus plures simul inferre potest
conclusiones, hic ipse modus conclusionem universalem
affirmativam conversam, & particularem affirmativam
convertentem concludere potest. Idem judicandum de
modo *Caremes* qui à *Celarent* solâ metathesi præmissarum,
& conversione conclusionis differre videtur. Similiter
Diramtis à *Darii* prædicto modo differre solet. Jam ita argu-
mentari datur: *Quicumq; modi alicujus Figuræ solâ præmissa-
rum transpositione mutantur in alios alterius figuræ, illi modi
non possunt peculiarem mihi constituere figuram naturaliter
concludentem. Atqui tales modi sunt quarta figuræ. E. Major in-
de statumina tur; quia sola præmissarum metathesis ad pe-
culiarem figuram constituendam non est sufficiens, nisi
insuper unius vel alterius præmissarum conversio accedat.
Imò quandoque neglectâ & omisâ præmissarum transpo-
sitione*

firione sola conversio sufficiens esse cernitur. Quod per-
 palàm evadit exemplo Aristotelis, *qui cum lib. 1. prior. c. 5.*
 §. 8. 6. §. 12. 7. §. 3. modorum reductionem tractet, nullam
 fecit mentionem propositionum translocationis, quia au-
 tumavit, quod termini propositæ quæstionis satis indicaret
 discrimen majoris & minoris propositionis. Et si sola
 metathesis præmissarum sufficeret ad novam constituen-
 dam figuram, plures quam quatuor forsitan possent con-
 stitui figuræ.

§, XXV. Quod verò attinet reliquos postremos mo-
 dos, nempe FESAPO & FRESISO, tum dicendum est, quod
 à modis indirectis Fapesmo & FRISISMO parili modo solâ
 præmissarum metathesi differant. Quod exemplis osten-
 di poterit. Sic sit Syllogismus quartæ figuræ in *Fesapo*.

Fcs. N. *Stella est corruptibilis.*

ap. O. *Corruptibile est elementare.*

O. *Ergò Q. elementare non est Stella.*

Hic Syllogismus statim apparet in Fapesmo, quando præ-
 missæ transponantur, nempe hoc modo:

Fap. O. *Corruptibile est elementare.*

esm. N. *Stella est corruptibilis.*

O. *E. Q. elementare non est Stella.*

Similiter sit Syllogismus in FRESISO.

Fres. N. *Stella est meteoron*

is. *Q. meteoron est cometa*

O. *E. Q. Cometa non est Stella.*

Modò præmissæ transponantur; statim ipse Syllogismus
 erit in modo indirecto *Frisesmo*.

Fris. *Q. Meteoron est cometa.*

esm. N. *Stella est meteoron.*

O. *E. Q. Cometa non est Stella.*

Sic

Sic apparet, quod hi duo postremi modi etiam sola præmissarum transpositione à modis hisce indirectis primæ figuræ secernantur.

§. XXVI. *Inquis: Hoc etiam modo Baramlip, Caremes & Dirantis sunt nihil aliud, quam modi indirecti primæ figuræ, qui vocantur Baralip, Celantes, Dabitis, modò præmissæ itidem transferantur. Respondetur: Aristoteles lib. 1. prior. c. 7. duos tantum ponit modos indirectos primæ figuræ, nimirum Fapesmo & Frisesmo. Hisce tres alios, nempe Baralip, Celantes, Dabitis adjecerunt Theophrastus & Eudemus, quibus Porphyrius visus fuit consensisse, sicut testatur Boëthius lib. 11. de Syll. Categor: Et ipse quoque Boëthius ab ipsis non discedit. Pro quorum sententiâ tale ratiocinium potest adferri: In quibus modis minor terminus concluditur de majori, illi sunt indirecti. Atqui in Baralip, Celantes, Dabitis, minor terminus concluditur de majori. E. hi modi sunt indirecti. At vero rectius faciunt illi, qui cum Alexandro Aphrodisæo, Johanne Baptista Monlorio & aliis tantum binos, nempe Fapesmo & Frisesmo admittunt. Proto-Philosopho enim modi constituuntur & distinguuntur præmissarum conjunctione, non etiam conclusione, vid. Monlorium in Schol. ad 1. prior. c. 7. Cum igitur præmissæ in Baralip, Celantes & Dabitis nihil prorsus differant à præmissis Barbara, Celarent & Darii, evidens est illos non facere modos peculiare & ab hisce distinctos. Ad argumentum ut respondeatur, dicendum, illam propositionum combinationem esse modum directum, quæ potentiam habet majus extremum de minore ἀπέως seu primò inferendi. Illam autem indirectum, non quâ quâcunque ratione minus de majore infertur, sed quâ id fit immediate, ita ut inepta sit ad concludendum majus de minore: Quod cernitur in modis Fapesmo & Frisesmo. Si enim hic ex præmis-*

præmissis inferre conamur majus de minore, ex veris præmissis non rarò concludetur falsum. In his verò modis, quando minus extremum concluditur de majore, id fit immediate, non mediante aliquâ conclusione, quæ directè sequatur, tum quia nullam directè inferre valeat, tum etiam, quia si inferrent, ea nulla esset alia, quam particularis negans, quæ cùm converti nequeat, non posset eâ interveniente colligi minus de majore. Res autem longè aliter sese habet in *Baralip*, *Celantes*, *Dabitis*, in quibus præmissæ naturâ sua aptæ sunt inferre conclusionem majoris de minore, quâ ratione Syllogismi eorum dicuntur esse in *Barbara*, *Celarent*, *Darii*. Conversis autem conclusionibus dicuntur esse in his modis. Relinquitur ergò, quod *Baralip*, *Celantes*, & *Dabitis*, non sint modi indirecti. Quò facit, quod Stagirita *lib. 1. prior. c. 7. §. 2.* scribit: *si altera propositionum est affirmans, altera negans universalis, semper fieri Syllogismum, in quo concludatur minus extremum de majore.* Ubi Aristoteles insinuat modos illos indirectos, *Fapesmo* & *Frisesmo*. Ex quibus simul apparet, quod Aristoteles non ignoraverit quartam Figuram, quia facilè eas propositiones invertere potuerit, ex quibus translocatis immediate habuisset quartam figuram: Constat enim, ipsum sæpè sæpies talem propositionum ordinem, quem secundùm tres Figuras præscripsit, pro arbitrio suo immutasse, secutum in hoc morem omnibus omninò hominibus crebrò satis receptum ac familiarem. Confer, quæ *Zabarella tract. de 4. fig. syl. c. 10.* habet.

§. XXVII. Cùm autem locum antea ex Aristotele citatum multi urgeant pro Syllogismis indirectis in secundâ quoque & tertiâ figurâ adstruendis, lubet illustrandi loci illius ergò, *ὡς ἐν παράδειγματι* & tanquam aliud quid agentes, movere quæstionem illam: *an etiam Syllogismi indirecti den-*

tur in secundâ & tertiâ figurâ : Affirmativam sententiam amplexi fuerunt *Alexander, Averroës, Burana, Monlorius, Pacius, & Scotus in lib. 1. prior. q. 24. aliq.* Pro quâ affirmativâ quæstionis parte exempla subsequenter adferri poterunt : (1) in secundâ figurâ : Q. homo est doctus : N. Rudis est doctus. E. Q. homo non est rudis. (2.) in tertiâ figurâ : O. homo est animal. N. homo est leo. E. Q. animal non est leo. Item Q. Æthiops est niger. N. Æthiops est corvus. E. Q. nigrum non est corvus. In hisce exemplis, non tantum minor terminus concluditur de majore, sed etiam conclusio infertur immediatè.

§. XXIIIX. Negativa tamen sententia præferenda, quæ ut intelligatur, sciendum, quod juxta Aristotelem in secundâ Figurâ majus extremum sit, quod situm est propè medium; minus verò, quod longius abest à medio: Sicut cōtrà in tertia figura majus extremum est, quod longius abest à medio; minus verò, quod propius adest. Dicitur autem extremū situm esse propè medium, quando in ratione subjecti & prædicati cum medio convenit. Remotius autem dicitur extremum à medio, quando in ratione subjecti aut prædicati à medio discrepat, ut quando medium est in præmissis subjectum, extremum autem prædicatum in conclusione. Cùm igitur medius terminus in secundâ Figurâ sit prædicatum utriusque propositionis; illud extremum situm erit propè medium & per consequens erit majus, quod prædicatur; illud autem erit remotius à medio & per consequens minus extremum, quod in conclusione subjicitur. Contrà, quia in tertiâ figurâ medius terminus in utrâque præmissarum subjicitur, illud erit remotius, quod prædicatur, & per consequens erit majus extremum. Illud autem quod in conclusione subjicitur, erit propè medium & consequenter minus extremum. Ex his patet, quod in se-

cundâ figurâ major terminus semper sit prædicatum, minor subjectum.

§. XXIX. Quibus sic stantibus implicare autumamus, in secunda & tertia figura reperiri Syllogismum indirectum, in quo sc. minor terminus inferatur de majori termino. Si enim in secundâ figura ad essentiam majoris requiritur, ut sit conclusionis prædicatum, sequitur quod loco subjecti poni non possit, quia aliàs amitteret suam essentiam. Quò accedit, quod omnes Syllogismi in secundâ & tertiâ figurâ, qui pro indirectis venditantur, reverâ sint directi, quod facilè etiam de adductis exemplis ostendi potest, modò notetur, quod de majore & minore propositione judicandum non sit ex situ vel pronuntiatione, quasi illa semper sit major, quæ primo, minor quæ secundo loco ponitur, sæpissimè enim transponuntur præmissæ, ut major secundo, minor primo loco ponatur, unde illa est major, in quâ ponitur major terminus, minor in quâ minor terminus ponitur.

§. XXX. In allatis igitur exemplis præmissæ sunt transpositæ, quæ si in ordinem rediguntur, res clara est, quòd sint Syllogismi directi. Primus igitur Syllogismus in secundâ figurâ est in modo *Festino*, ceu claret, si præmissæ transponuntur: N. rudis est doctus. Q. homo est doctus. E. Q. homo non est rudis. Alter Syllogismus in tertiâ figurâ est in modo *Felapton*, ut patet iterum ex transpositis præmissis: N. homo est leo. O. homo est animal. E. Q. animal non est leo. Tertius Syllogismus tertiæ Figuræ est in modo *Ferison*, modo præmissæ transponantur, hoc modo: N. *Æthiops est corvus.* Q. *Æthiops est niger.* E. Q. *nigrum non est corvus.* Qui modi sunt directi. Quomodo autem locus Aristotelicus supra adductus sit explicandus, cum nempe in §. 4. dicat: *Similiter* (Syllogismos nempe indirectos.) *feri in aliis etiam figuris*: vide apud B. Stahlium Principem Logicorum. hu-

jus seculi in quæst. 89. charta enim nos movet, ut è diverticulo ad viam redeamus.

§. XXXI. Sed attestante *Lorino in lib. 1. analyt. c. 8. q. 2.* dicunt nonnulli, quartam figuram non esse præmissarum transpositionem, neque modos indirectos, quos vocant Græci *refractus*; sed cum infertur quæsitum, ut quæsitum per præmissas, in quibus medium prædicatur de majore extremo, hoc est, de prædicato quæsiti & minori extremo subjicitur in minore propositione, ut si quæras, *an quadam substantia sit homo?* tunc in hac figurâ id ita probabitur: O. homo est animal. O. animal est substantia. E. Q. substantia est homo. Attalis & ejusdem farinae illatio non est naturalis, supra quam sc. cogitatio nostra caderet, ceu loquitur & sentit *Averroës in Com. super cap. 12.* quod experimur nos ipsi in mente nostrâ, cum audimus has duas propositiones: *O. homo est animal. O. animal est substantia*, tunc planè nos non expectamus hanc illationem: *Ergo, Q. Substantia est homo*, sed aliam: *Ergo. O. homo est Substantia*; Et idcirco nunquam audimus naturaliter differentes, & solo naturæ instructu ductos tales quartæ figuræ Syllogismos formare. Hinc rectè dixit *Zabarella l. c. cap. 11. Medici non viderunt quartam figuram neq; cum primâ, neq; cum aliis duabus esse conferendam, quia neque illationem facit evidentissimè naturalem, ut prima: neq; potestate evidentem & naturalem, ut alia dua: sed in altero extremo constituta, à naturâ remotissima est & ei penitus adversatur: Quocirca jure vocatur ab Averroë artificiosa, & ex machinatione concludens, & nihil habens illationis naturalis.*

§. XXXII. Quando autem *Averroës* Syllogismos quartæ figuræ appellat innaturales, non est existimandum, *Averroem* idcirco quartam figuram dicere innaturalem, quia habet non rarò propositiones non naturales, quales sunt,

sunt, cum inferius de superiori, absolutum de connotato prædicatur; Sic enim prima quoque Figura non esset naturalis, quippe quæ sæpè sapiens tales quoque possidet propositiones, ceu ex hoc unico patescit exemplo: *O. Cygnus est animal. Q. album est cygnus. E. Q. album est animal.* Ubi & minor & conclusio sunt propositiones innaturales, quis autem propterea hunc Syllogismum ex censu Syllogismorum primæ figuræ ejicere audeat? sed intelligit *Averroës* per innaturalitatem, illationem innaturaliter ut cum *Zabarella* loquar, factam, quæ processui nostro naturali in argumentando adversatur, & non fit secundum ordinem inferendi naturalem. Qui exposcit, monente *Masio Com. in lib. I. analyt. q. 6. p. 218.* ut illud, quod erat prædicatum in præmissis, maneat prædicatum, & quod erat in eisdem subjectum, in conclusione quoque maneat subjectum: retinent siquidem majus & minus extremum eundem ordinem in conclusione, quem retinebant in præmissis, ut in primo modo primæ figuræ apertissimè videre licet. Ratio hujus rei redditur hæc: Quia nunc majus extremum dicitur de omni medio, & minus extremum contineatur sub medio, ideò debet idem majus extremum in conclusione dici de minore, & proinde erit prædicatum, & minus extremum erit Subjectum. Sed in quartâ figurâ ordo ille planè invertitur, & è contra quod erat subjectum, fit prædicatum, & quod erat prædicatum, fit subjectum. Quam terminorum inversionem esse innaturalem *B. Scheiblerus* autumat patere exinde, quia per eam fieri potest, ut idem terminus medius sit major majori termino, (quia de hoc prædicatur) & tamen sit minor minori termino (quia huic subicitur) quod prorsus absurdum, cum minor terminus sic fiat major majori, quod fieri non potest. Cum semper terminus major prædicetur (in conclusione) de minore: & hoc ipso major sit minori termino, Ergò hic evenit
tate.

ale quid, ac si aliquis homo sit maior Goliatho, & tamen minor Davide. Hæc B. Scheiblerus.

§. XXXIII. At è vestigio aliquis objicere poterit : si illatio naturalis in hoc consistit, ut prædicatum in præmissis, maneat quoque prædicatum in conclusione, & subjectum in iis, in conclusione quoque vice subjecti fungatur, sequitur incunctanter, Syllogismos secundæ & tertiæ figuræ non habere illationem naturalem, neque esse directos, quia duo termini extremi in conclusione eundem non servant situm & eundem respectum ad se invicem, quem habere in præmissis. Respondetur, negando consequentiam, quia à quarta figurâ ad has duas figuras argumentari plane est ἀλογον. Nam in 2. & 3. figurâ omnes termini contra dictum illud naturale non sunt dispositi, quemadmodum in dispositione 4. figuræ contingere videmus. Quòd verò in 2. & 3. Figurâ unus terminus sede suâ propriâ sit privatus & contrario modo in conclusione positus, id summa interdum exigit necessitas, quia nimirum terminus medius non semper θέσει potest esse medius, sed interdum ob materiæ indolem vel angustior est, vel latior suis extremis, quem tamen ejus situm innaturalitatis alicujus propterea insimulare non possumus. Ex quo sequitur tantùm eos Syllogismos esse *imperfectos*, non verò *indirectos*. Quia medio modo procedunt, ita ut licet dicto de omni non quidem exquisitissima ratione concepto adhæreant, nihilominus tamen ipsi modo paululùm obliquato adhærescunt, non tamen penitùs perverso atque destructo, & id propter illationem quidem habent directam, sed non ita conspicuam, qualis in primâ figurâ, ubi actu dictum de omni & de nullo reperitur, cernitur. Quò facit, quæ Zabarella l. cit. cap. 10. habet, quando infit : *Natura igitur nos inducit, ut regulam dicti de omni & nullo aliquantulum obli-*

quemus, & ab ejus rectitudine declinemus propter materiam, cui hac regula accommodanda est; materia enim sunt propositiones, quibus ad ratiocinandum uti volumus, propterea sæpè contingit, ut in secundâ atq; tertiâ Figurâ potius, quàm in primâ argumentemur: nec tamen illa ita recedunt à primâ, ut non sint illi propinqua, & ad illam reduci queant. Hæc ille.

§. XXXIV. Quæ res ut eò clarior fiat, porrò sciendum Syllogismum dupliciter dici naturalem: (1) enim dicitur naturalis, quia habet actu dictum de omni & nullo, proinde per se ipsum habet evidentiam sine ope alterius: qua ratione prima tantùm figura est naturalis, secunda autem & tertia hæc ratione non dicuntur naturales, nisi dicamus naturales potestate, quatenus ad primam reduci queant: (2) dicitur naturalis, super quem fertur cogitatio humana, quique est in usu apud plures homines instinctu naturæ in argumentando ductos: qua ratione omnes tres figuræ æquè sunt naturales, quia sunt omnes æquè in usu apud integram hominum partem. Iam quando diximus, quartam figuram non esse naturalem, tunc intelleximus 1^o naturale posteriori, non autem priori modo.

§. XXXV. Inquis: facile fieri posse, ut ejusmodi Syllogismus rectificetur & talis conclusio inferatur, ubi id, quod est in præmissis subjectum, remanet in conclusione subjectum; & id quod est prædicatum in conclusione, remanet prædicatum, v. g. Si quis ita argumentetur: *O. homo est animal: O. animal sentit. E. O. homo est sentiens.* Quam terminorum dispositionem non esse innaturalem quivis videt; cum tale ratiocinium fundetur in regula antepredicamentali, quæ ita sonat: *Cum alterum de altero predicatur ut subjecto, quacunq; de predicato dicuntur, ea quoq; de subjecto dici necesse est.* Verum respondetur, illi, qui cum Galeno quartam Figuram constituunt, ita ratiocinari non solent,

ecce dispalescit ex ipsorum scriptis; sed potius inferunt conclusionem contrariâ terminorum dispositione; nam aliàs sequeretur hoc absurdum, docente *Masio loc. cit.* quod in Syllogismis directè concludentibus, quales sint illi, qui fiunt in hac figurâ, concluderemus minus extremum de majori, quod in Syllogismis directis conficiendis vitium esse putat præfatus *Masius*. Et si ita naturaliter conclusio infertur, ut in hoc Syllogismo factum, Syllogismus talis nihil aliud est, quam Syllogismus primæ figuræ, propositione minore primum, majore secundum locum obtinente. Nam de majore & minore propositione iudicium non est ferendum ex eo, quòd una propositio alteram pronuntiatione aut Scripturâ præcedit vel sequitur. Quemadmodum de partibus propositionis non pronuntiandum est ex ordine, quo proferuntur, aut scriptæ sunt, quasi subjectum sit, quod priorem; prædicatum, quod posteriorem locum occupat; cùm fieri possit, ut prædicatum hâc ratione anteponatur, & subjectum postponatur, ut in hâc: *ardua est ad virtutem via*. Ita in Syllogismo non statim major est, quæ primo, minor, quæ secundo loco est constituta. Testatur id etiam praxis Aristotelis, qui sæpissimè in exemplis primæ figuræ minorem propositionem præmittit majori. *Averroës quoq; 1. prior. cap. 6. & 7.* omnia non primæ tantum, sed & secundæ & tertiæ Figuræ exempla ita proponit, ut majorem minori propositioni postponat. In *Epitome* autem in *prior. Analyt.* nunc majorem, nunc minorem postponit. Quam rem etiam eruditè inculcat *Riccobonus in paraphrasi in lib. 1. Rhet. Arist. cap. 11.* Quod vero attinet istam regulam antepredicamentalem, dicendum est, in ipsâ quartam figuram non fundari. Nam argumentationes ex præscripto Regulæ antepredicamentalis effectas non esse syllogismos quartæ figuræ, inde evidētis-

dentissimum est, quod in quartâ figurâ subjectum propositionis majoris, tanquam terminus major fieri debet conclusionis prædicatum; prædicatum autem minor s fieri debet tanquam terminus minor subjectum. Sed quando in argumentando regulam antepædicamentalem, observamus, subjectum primæ propositionis, quam isti, qui cum Galeno faciunt, pro majore habent, fit quoque subjectum in conclusione; prædicatum autem secundæ, quam loco minoris habent, manet prædicatum in eâdem. e. g. juxta hanc regulam antepædicamentalem ita argumentamur: *Petrus est homo. Homo est animal. E. Petrus est animal.* Sed si id tanquam exemplum quartæ Figuræ tradere volumus, tunc nobis ita erit concludendum: Ergo *Q. animal est Petrus.* Manet igitur, quod in regulâ antepædicamentali quarta figura non fundetur.

§. XXXVI. Ex his autem, quæ hæctenus disputata fuere, liquet, Syllogismos quartæ Figuræ non esse naturales, super quos cogitatio nostra naturalis cadat; sed potius artificiales, ex mero sc. artificio & machinatione conclusionem colligentes. Sed *dicat* aliquis; omnium Figurarum Syllogismos ex artificio ortum suum traxisse, cum enim Aristoteles, *cei ipse in fine 2. lib. Elench. Sophist. profiteatur*, & hoc quoque testatur *Alexander in 1. lib. prior. analyt. s. 2. c. 3.* Syllogisticam methodum primus adinvenit, quam ante ipsum nemo cognoverit, incunctanter sequitur, omnes omnium figurarum Syllogismos ex artificio & commento Aristotelis profluxisse; ipse enim observavit methodos & progressus, quibus alii philosophabantur, omnesque ad præcepta & ad regulas artis redegit. Ad illud dubium solvendum respondetur; Syllogismum aliquem dupliciter posse dici artificiosum, vel enim per Syllogismum artificiosum intelligitur talis, qui ex naturali ductu est

est, quique per viam naturalem progreditur, per quam homines naturali instinctu ducti procedere solent, quique processui Syllogistico naturaliter nobis insito similis atque conveniens est, quales Syllogismi sunt omnes, de quibus Proto-philosophus agit in tribus figuris, quippe qui semper necessitatem & ductum naturæ in argumentando secutus est, & hi Syllogismi possunt dici suo modo artificiosi, quia per artem ex naturalibus desumpti sunt. Vel per Syllogismum artificiosum intelligitur talis, qui est innaturalis, & ex præmissis contra naturam dispositis procedit, quique non secundum viam naturalem, per quam magna pars hominum progredi solet, sed secundum artificium & machinationem alicujus hominis concludit. Hoc significatu Averroes Syllogismos quartæ Figuræ vocat artificiosos.

§. XXXVII. *Didacus Masius l. c. p. 219.* aliam & non contemnendam rationem adfert, quod Syllogismi quartæ figuræ naturaliter non concludant, verba ejus integra huc apponere non pigrabimur. *In omni inquit, rectâ argumentatione, quod est consequens superioris, non potest esse antecedens inferioris, nam cum inferius sub superiori contineatur, eadem erunt utriusque consequentia, ut in hac argumentatione. O. arbor vivit. Pyrus est arbor. E. O. pyrus vivit; pyrus enim sub arbore, quæ est superior contineatur, atque ita cum vivere consequatur arborem, consequatur etiam pyrum, sed si daretur hæc quarta Figura, quod est consequens superioris, antecederet inferius. Ergo inanis erit hujusmodi figura.*

§. XXXVIII. Denique Syllogismos quartæ figuræ esse quoque inutiles & supervacaneos probatur inde, quia potentias naturales debilitatas non solent juvare, excitare atque perficere; verum quicquid facultatem argumentandi naturalem non juvat, non excitat, non perficit, illud

frustraneum atque inutile in logicis censetur, quale quipiam talis figuræ Syllogismi facere solent. Vide B. Scheiblerum tract. syl. c. 5. art. 2.

§. XXXIX. Restat jam, ut argumentis satisfiat, quæ supra pro Galeni sententiâ fuerant adducta. Ad 1. Respondet B. Scheibl., quod solum controversia sit de voce; si enim figura Syllogismi dicenda est omnis illa, quæ ex certo modo disponendi medium terminum infert verum, sic quarta figura est peculiaris figura. Sin vero figura Syllogismi dicenda sit non simpliciter propter peculiarem dispositionem mediæ, sed quæ eam habet naturalem; sic quarta ista Figura non est peculiaris figura. Didacus Masius l. cit. ait, quod quarta mediæ termini dispositio non differat à collocatione mediæ cum extremis in prima figura, sed sola tantum transpositione propositionum. Utraque responsio non videtur contemnenda.

§. XL. Ad (2.) Respondet Zabarella l. c. cap. 13. negando minorem, videlicet quod Syllogismus quarta Figura competat definitio Syllogismi ab Aristotele tradita, nam quando dixit, Syllogismum esse orationem in qua quibusdam positis, necesse est aliud quiddam sequi, eò quod illa sunt, intellexit conclusionem naturalem, id est, quæ secundum ordinem naturæ, & per dictum de omni colligitur, ut ea verba benè considerantibus manifestum est: aliud est enim conclusionem à nobis ex propositionibus colligi, aliud est conclusionem per se ipsam quodammodo ex propositionibus derivari atque defluere quasi effectum, quod causam suam necessario insequatur, & vi causæ agentis absq; ullo nostro artificio expromatur: quem sensum Aristoteles in eâ definitione significare voluit, propositionibus enim bene compositis statim sequitur conclusio naturalis ex ipsamet propositionum natura & terminorum dispositione, non ex aliquâ tantum nostrâ artificiali excogitatione, qualis est per quartam Figuram illatio, quæ quidem dicitur à nobis cum artificio fieri, quàm ex earum propositio-

num naturâ. Hanc enim reverâ conclusio illa non sequitur recto & naturali terminorum cursu, sed potius contra cursum naturalem. Aristoteles igitur in definitione Syllogismi non dixit nos arbitratu nostro quamlibet conclusionem ex propositionibus positis colligere, sed dixit, necesse esse positis propositionibus conclusionem propter eas sequi, significans conclusionem statim sequi ordine quodam naturali & extra omne humanum artificum & nobis quoque non inferentibus, imò invitis. Confer Masium loc. cit.

§. XLI. Ad (3.) Respondemus cum Zabarella & Masio illud nihil colligere adversus nos, nam libenter fatemur, illum Syllogismum, qui revocatur ad primam Figuram, si naturaliter concludat, esse optimum, at Syllogismi, qui in hac quartâ Figurâ fiunt, non concludunt naturaliter, sed contra naturam, ac proinde non erunt optimi. Masius.

§. XLII. Ad (4.) Respondetur cum Regio l. supra cit. p. 159. licet aliqui in hac figura argumentati sint, hoc tamen non fecerunt, ut figuram illam peculiarem putarent à primâ figurâ, sed in ipsa prima figura dum argumentari voluerunt, ordinem propositionum solummodò invertunt, ut ex majori minorem, ex minori majorem efficerent, quæ sanè mutatio non novam figuram constituit; alias *Cesare* & *Camestres* in secundâ figurâ etiam duas Figuras constituerent. Ad exemplum Macrobiani quod attinet, expressè apparet, illud ad primam figuram pertinere, & solummodò propositio illa, quam naturâ docēbat esse majorem, minoris loco posuit.

§. XLIII. Ad (5.) Respondetur. Syllogismum duplici ratione posse dici inutilem (1.) ut nihil certi concludat, cum ex eo quandoque affirmativâ quandoque negativa conclusio colligatur; hujusmodi Syllogismos Protophilosophus in singulâ figurâ consideravit, & rejecit ut inutiles, hoc modo Syllogismi quartæ figuræ non sunt inuti-

es, sed reverâ concludentes, quod ἀμφοῖν largiri volumus (2.) Syllogismus inutilis nuncupatur, qui non est in usu apud majorem partem hominum naturali instinctu ratiocinantium, quamvis enim certam conclusionem colligat, obliquè tamen & contra naturam id facit, Tales sunt Syllogismi quartæ figuræ, qui hâc ratione inutiles dicuntur, quia sunt obliqui & naturæ contrarii, & apud plures homines in usu minimè sunt.

§. XLIV. Ad (6.) Respondetur ad antecedens, quod non transpositio præmissarum secundum ordinem nostræ pronuntiationis instituta eam pariat diversitatem dictorum Modorum, sed quæsitum ab initio propositum, hic enim ordo, hicque terminorum quæsitum respectus, tam fixè atque immotè in animo ratiocinantis manet, & ab eo fit denominatio majoris & minoris præpositionis, quomodo-cunque etiam illæ ordinentur. Vide Zabarellam cap. 10. & 11. Quando verò putant diversam mediæ dispositionem figuras immutare, id equidem verum esse censemus, si intelligitur dispositio legitima ac naturæ nostræ consentanea.

§. XLV. Ad [7.] Respondetur, majorem invertendo; Q. figura talia colligit problemata, quæ in tribus figuris Aristotelicis inferri nequeunt, ea non utilis censi debet, neque numeranda est inter reliquas tres figuras, ratio est in promptu, quia talismodi Syllogismus ad primam figuram reduci nequit, siquidem medium terminum non distributum habet. Quod verò concernit adductum Syllogismum. *O. doctum est homo. Q. homo est albus. E. Q. album est doctum.* Respondetur, quod talis Syllogismus contra dictum de omni & nullo peccet, quod vult ut major in reductione primæ figuræ sit universalis, quod tamen in talismodi Syllogismo ad primam figuram reducto non contingit. *Inquis: quomodo Ergò tale problema. Q. album est*

doctum, per Syllogismum quendam utilem probari potest. Responderur, commodius id fieri potest per Syllogismum quendam expositivum, hoc modo, *Petrus est doctus. Petrus est albus. Ergo, album est doctum.*

§. XLVI. Ad (8.) Respondetur, inficias eundo consequentiam. Soritæ enim fundamentum non est hæc quarta figura Galenica, sed canon ille antepredicamentalis: *Cum alterum de altero predicatur ut subiecto, quacumq; de predicato dicuntur, ea quoq; de subiecto dici necesse est.* Aliter enim concluditur secundum hunc canonem prædictum, aliter secundum quartam Figuram, sicuti supra ostensum. Huc facit, quod *Fabianus Hippus problem. Log. 35. ait. Sicut se habet quarta Figura ad Syllogismos prima figura indirectos, ita se habet Sorites ad directos ejusdem Figura.*

§. XLVII. Ad (9.) Respondetur, negando majorem. Ex terminis conclusionis possum quidem dignoscere, quænam sit propositio major, quænam minor; non autem ex ordine terminorum conclusionis dignoscere possum, an Syllogismus naturaliter, an innaturaliter concludat, sed hoc debeo ex principio regulativo de omni cognoscere.

§. XLVIII. Paucis ut totum negotium expediamus Quia figura est dispositio medii cum extremis, unde quia quarta dispositio medii termini cum extremis dari potest, ut scilicet medius sit prædicatum Majoris & subiectum Minoris, dici potest, quartam dari Figuram Syllogismorum. Verum, quia non tam de ipsâ quartâ Figurâ, quam de ejus usu & utilitate quæritur, negatur quod quarta Figura sit admittenda, ita ut peculiarem habeat usum. Ratio allata fuit: quia quarta Figura, licet rectè concludat, non tamen naturaliter concludit, cum ratio naturalis nunquam talem expectet conclusionem ex præmissis, qualis in quartâ Figurâ infertur.

SOLI DEO GLORIA.

Quær. **A**N Figura, in quâ medius terminus est subjectum
Majoris & prædicatum Minoris, rectè primò locò
ponatur? Affirmo contra Ramæos.

2. Quæritur, quid sit sentiendum de hõc Syllogismo?

Necesse est, eum qui habet Fidem, habere B. O.

Necesse est, eum qui vult salvari, habere fidem E.

Necesse est, eum qui vult salvari, habere B. O.

Mentem nostram rogati in conflictu aperiemus.

3. **Q** An inductio rectè reducatur ad Syllogismum h. m.?

Petrus, Paulus & reliqui homines omnes sunt risibiles

O. homo nihil aliud est, quam Petrus, Paulus & reliqui homines

E. O. homo est risibilis. Negatur.

4. Quær. An de eâdem re haberi possit simul. scientia & Fides?

HOcce tuò gymnasmate *Quarta Figura Galeni*

Rejicitur, quam non Summus Aristoteles

Admisit. Benè; sic pergas & fortibus ornes

Responsis Cathedram: Gratus erisque Tuis.

Ad Doctissimum Dn. Rhein/ Logicè dispu-

tantem ex singulari Affectu sic scribebat

PRÆSES.

IN Sophicis non absque data ratione quiescit

Philosophus, nunquam clamat: *αὐλὸς ἔφα.*

RHEINIUS ergò novam (*Galeno autore*) figuram,

Si ratione caret, non retinere valet;

Cùm nec *Aristoteli* cœco consentiat ausu,

Sed meliora probet, si meliora videt.

Dno. Amicò suo f. l. m. q.

M. JOH. SCHVIGGENIUS,

Fac. Phil. Adjunctus.

Nichts

Nichts ist der letzte seyn! Wohl! der der Edlen Tugend
 Und klugen Kunst vertraut sein Edle Zeit und Jugend.
 Die Tugend traget Zins. Die Kunst bringt alles ein.
 Der Ehren-Lohn kompt nach. **Nichts ist der letzte sein.**
Nichts ist der letzte sein. Herr Rhein muß dieses wissen/
 Die Erstling weißens aus / drauff wird nun folgen müssen
 Die reiche Ernden Zeit. Er / werther Freund Herr Rhein/
 Fahr immer hurtig fort. **Nichts ist der letzte sein:**
 Also hat mit gegenwärtigen geringen Zeilen seinem viel-
 geehrten Herrn Landtsman glückwünschend auff-
 wardten wollen.

JOHANN CONRAD ZESCHER.

Quam frustra studeat confundere fixa Sophorum
 Turba Galeni, ausu panditur heic nitidò,
 Quando *Figurarum Trigam* modò RHEINIUS ardens
 In Themidos castris acriter hancce probat.
 Illi hinc Cecropiam neæet pòst triga coronam
 Triga Sororum, etiam præmia pulchra dabit.
 Annuat ergò Deus studiis, qui Trinus & Unus!
 Sic nomen celsum surget ad usque polum.
*Pauculis hisce insigniter Docto virtutibusq; condecoratissi-
 mo Dno. Respondenti, Disputationis hujus Autori &
 Amico suo integerrimo gratulari voluit, debuit*
 JOHANNES BOE / Lunæburgensis

Doæe *Figurator*, quid monstri nascitur ex te,
 Quod neque *Rhenus* habet, quod neque *Mænus* habet
 Ducitur in scoenam Galeni *Quarta Figura*
 Cum *Caremes*, *Fesapo*, cumque modis aliis.
Frustrà inquis tradi, sic frustra fortè laboras.
 Non puto. Perge modo, munera *Mænus* habet.
*Paucula hæc ex bonâ tamen mente ponit Præstantissi-
 mo Dn. Authori, Amico animitus dilecto*
 PHILIPPUS JACOBUS FOERTSCHUIS, Wert-Fr.
 Non

Non semper sequitur Laus omnia facta, sed illa
Demum, quæ Doctis esse probata solent.
Tale tuum dubio procul est: hinc laudo, Tibique
Gratulor, ex altis omnia fausta precans

*Paucis hisce Præ-eximio & Humanissimo Domino Au-
thori, Conterraneo atq; Contubernali, amico suo
plurimum colendo gratulari voluit*

JOHANNES Kisner / Moeno-Francof.
Phil. & Med. Stud.

Als manch Poetisch Schwein sich Kühnlich unterstehet
Den/ dessen hohen Geist die Götter selbst erhöhet /
Zu tadlen ohne Grund / wird billig sehr beklagt:
Wann aber Er mein Freund sich an Galenum wagt
Und mit gefährter Zung jetzt offentlich vernichtet
Baramlip, Caremes, etc. wie von ihm ist erdichtet
Erlangt Sein kluges thun nach Ruhm und' grossem Preis
Bey der Beehrten Schaar / dann jedermann wohl weiß /
Wie daß Er keine Müh / **Sich** Himmel an zu schwingen/
Gesparet / sondern **SICH** durch ein gefährtes ringen
Bey Tag und Nacht bemüht / wie **ER** das Vatterland
Und die ihm zu gethan / in einem Ehren stand
Beziere. Nun Glück zu! Ich höre schon das Klingen
In dem Parnassus / dort / wie **Luch** die Musen singen.
Ja aller Götter Zier / **Apollo** / ruffet schon
Den zarten töchtern zu / bindt diesem meinem Sohn
Von Lorber Pracht den Kranz Sein Haupt damit zu zieren
Und zu der Ehren Pfort den selben hin zuführen.
Glück zu! ruff ich nochmals; **Glück zu** der schönen Ehr
Glück zu! Sein grüner Ruhm verweleke nimmer mehr
Mit Zeit und Eylverkürzter Feder Glück:
wünschend auffgesetzt von
J. G. B. D. B. B. S.